

1528 octubre 24. Andorra la Vella

Els representants del Consell General de les valls d'Andorra, atesa la controvèrsia entre el col·lector de la lleuda de Cerdanya i els representants de les Valls, nomenen Esteve Pellicer de Canillo i Antoni Pal d'Ordino procuradors seus perquè els representen davant del procurador del patrimoni reial dels comtats de Rosselló i Cerdanya, de la seva cúria, del lloctinent general del rei d'Aragó en el principat de Catalunya i comtats de Rosselló i Cerdanya i de qualsevols altres autoritats judicials.

R. Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 88, fols. 106-107.

a. PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 136-137.

Noverint universi quod nos, Stefanus Pelicer, Petrus Ortel, consules, Iohannes Raymundi Duran, Botolomeus Casal, consiliari parrochie de Canilleu, Thomas Calba, Girandus Tomas, consules, Bortolomeus Beringer, Antonius Pont, consiliari parrochie d'Ancamp, Raymundus Vidal, Bernardus Plan, consules, Guillermus Cal, Petrus Vilar, consiliarii parrochie d'Ordineu, Iohannes Texidor, alias Tores, Iacobus Areny, consules, Raymundus Bons, Iohannes Capela, consiliarii parrochie de la Massana, Raymundus Ribot, Guillermus Sansa, consules, Bernardus Vidal, Iohannes Guillemó, consiliarii parrochie Andorre, Iohannes Martí, Raymundus Farer, consules, Michael Alvinyà et Salvator Guisalt, consiliarii parrochie de Lòria, convocati et congregati in loco Andorre, in Domo Consilii dictarum vallium Andorre ad tenendum Consilium Generale dictarum Vallium circa infrascripta, ad sonum campane prout iam alias pro talibus vel similibus negociis solitum est Consilium Generale dictarum Vallium tenere et celebrare, nos omnes predicti universitates dictarum Vallium representantes, attendentes et considerantes certam esse controversiam motam seu verti speratur inter collectorum leude Podiceritanie parte ex una, et nos, dictis nominibus, ac universitates dictarum vallium Andorre parte ex altera, pretextu dicte leude; attendentes et considerantes ad dictam littem ducendam nos omnes personaliter intendere seu vaccare non possimus. Idcirco, nos omnes predicti universitates et singulares dictarum Vallium representantes, ex certis nostris scienciis, nominibus nostris propriis universitatumque et singularium dictarum Vallium presencium, absencium et futurorum representantes, cum hoc presenti publico instrumento, ratificando et confirmando, laudando et aprobando primitus omnia et singula facta per dictos Stefanum Pellicer et Anthonium Pal, nomine dictarum Vallium et

singularium earum, hucusque facta, gesta et procurata fuerit quomodolibet, constituimus, creamus et solemniter ordinamus syndicos, actores et procuratores nostros dictarumque universitatum et singularium eiusdem vos, dictum Stefaum Pelicer dicte parrochie de Canilleu et Antonium Pal parrochie predicte d'Ordineu et utrumque vestrum insolidum. Ita quod primitus occupantis condicio pocior non existat sed quod per unum vestrum inceptum fuerit per alium mediari valeat prosecui et finire, videlicet ad conparendum pro nobis, dictis nominibus, coram nobili domino procuratore patrimonii realis comitatus Rossilionis et Ceritanie seu eius curia vel coram illustrissimo domino locumtenente generali sesarie regieque magestatis in principatu Cathalonie et comitatibus predictis Rosilionis et Ceritanie et eorum curiis et quibusvis iudicibus, comissariis delegatis et subdelegatis, delegandis et subdelegandis, et aliis quibusvis officialibus, iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam secularibus et coram eo seu eis agendum, tractandum et fine debito terminandum omnes et singulas causas sive lites, motas seu movendas, inter nos, dictis nominibus, universitatesque et singulares predictas agentes vel defendentes parte ex una et dictum collectorem dicte leude ville Podiceritanii et quasvis alias personas agentes vel defendentes parte ex altera, tam ratione et occasione dicte leude quam aliis quibusvis rationibus sive causis. Et ad manutenendum usus, privilegia, franquitates et immunitates quascumque hominibus dictarum vallium Andorre necnon agendum, defendendum, excipiendum, proponendum et replicandum, triplicandum et ultra iusque super bonis nostris dicteque universitatum et singulariorum eiusdem firmandum eaque pro inde obligandum, libellum et libellos, suplicationes, petitiones et demandas quascunque dandum et oferendum, littem et lites contestandum, iuramentum de calumnia et veritatis dicenda et cuiuslibet alterius generis iuramenta in animas nostras et cuiuslibet nostrum dictarum universitatum et singularium predictarum prestandum, et ex adverso prestari petendum; testes, instrumenta et alia probacionum genera producendum et productos, ex adverso, obiciendum et contradicendum; crimina et defectus et alia opponendum, disputandum, allegandum, renunciandum et concludendum in causis et omnia que in littem fieri requirendum et faciendum; sentenciam et sentencias, tam interlocutorias quam difinitivas, et alias quascunque audiendum et ab ea vel eis si vobis bene visum fuerit appellandum, suplicandum et reclamandum; apostolos petendum, recipiendum et presentandum; appellacionem et appellaciones proseguendum et finendum; iudicem et iudices et comissarios impetrandum et suspectos recusandum et movendum et protestatis requisitis ex adverso respondendum, replicandum, triplicandum et ultra inde fieri petendum et requirendum; publicum et publica instrumentum et

instrumenta producendum; sindicum, actorem et procuratorem seu syndicos, actores et procuratores, unum vel plures, substituendum et eum vel eos destituendum et revocandum quando et tociens quociens vobis fuerit bene visum; et generaliter omnia alia et singula faciendum et libere exercendum in predictis et circa predicta quecunque ad hec utilia fuerint et necessaria seu eciam opportuna et que nos, dictis nominibus, facere possemus personaliter constituti. Nos enim super predictis omnibus et singulis et super dependentibus seu emergentibus ex eisdem ac ea tangentibus quovis modo comittimus vobis plenarie vices nostras dictarumque universitatum et singularum predictarum, cum libera et generali administracione et plenissima facultate eciam si talia essent que mandatum exigerent speciale et sine quibus predicta expendiri non posse. Et volentes nos, dictis nominibus, vos, dictos syndicos, actores et procuratores nostros dictarumque universitatum et singulatum predictarum et substituendum et substituendos a vobis super predictis relevare ab omni onere satisfaciendi fideiubentes in hiis pro vobis, promittimus nos omnes predicti, dictis nominibus, vobis necnon notario eciam infrascripto tanquam publice persone pro vobis et aliis etiam personis omnibus et singulis quarum intersit legitime stipulanti et recipienti, iudicio sisti et iudicatum solvi cum suis clausulis universis, et nos, dictis nominibus, semper abere ratum, gratum et validum atque firmum quicquid per vos, dictos syndicos, actores et procuratores nostros, actum, procuratum fuerit sive gestum et nullo tempore revocare sub omnium et singulorum bonorum nostrorum dictarumque universitatum et singularium predictarum obligacione.

Actum est hoc in loco Andorre Veteris, vicessima quarta mensis octobris, anno a nativitate Domini M^o quingentesimo vicessimo octavo.

Sig+++++na nostrum Stefani Pelicer, Petri Ortel, Iohannes¹ Raymundi, Botolomei Casal, Thome Calba, Girandi Thomas, Bortolomei Beringer, Antoni Pont, Raymundi Vidal, Bernardi Plan, Guillermi Cal, Petri Vilar, Iohannis Texidor, alias Tores, Iacobi Areny, Raymundi Bons, Iohannis Capela, Raymundi Ribot, Guillermi Sansa, Bernardi Vidal, Iohannis Guillemó, Iohannis Martini, Raymundi Farer, Michaelis Alvinyà et Salvatori Guisalt predictorum qui predicta, dictis nominibus, hec laudamus, concedimus et firmamus.

Testes huius rey sunt: Iohannes Babot loci d'Ordineu et Petrus Carbonel loci de la Cortinada, parrochie d'Ordineu².

1. *En lloc de Iohannis.* — 2. *No hi ha cap element que ens indiqui si es va fer la redacció en pública forma.*